871
B4.Yh

UNIVERSITY OF
ILLINOIS LIBRARY
AT URBANA-CHAMPAIGN
CLASSICS

Digitized by the Internet Archive
in 2013

http://archive.org/details/quaestionesdefurhild

Classics
871
B4.Yr

QUAESTIONES DE FURIIS POETIS.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

academia Fridericiana Halensi

cum Vitebergensi consociata

ad summos in philosophia honores

rite impetrandos

scripsit

Theodorus Hildebrand

Wernigerodensis.

Halis Saxonum,

Formis Kaemmererianis

MDCCCXCII.

Avunculo suo Theodoro Dschenfzig

ex pio et grato anmio.

p 30025

QUAESTIONES DE FURIIS POETIS.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

academia Fridericiana Halensi

cum Vitebergensi consociata

ad summos in philosophia honores

rite impetrandos

scripsit

Theodorus Hildebrand
Wernigerodensis.

Halis Saxonum,
Formis Kaemmererianis
MDCCCXCII.

Avunculo suo Theodoro Dschenfzig

ex pio et grato anmio.

p 30025

Praefatio.

De Furiis poetis, quot fuerint et quae carmina eis attribuenda sint, controversia fuit usque ad hunc diem, imprimis propter duos locos Horatianos *(sat. II, 5, 41 et sat. I, 10, 36)*, quibus M. Furium Bibaculum perstrictum esse narrant scholiastae. Primus multis verbis de ea re disputavit Weichertus in commentatione*) ‚De Marco Furio Bibaculo'. Certe laudanda est diligentia et sedulitas viri docti, qui de illa quaestione pro sua parte optime meritus est, sed negare nequeo multa ab eo prolata esse sine ulla veritatis specie, multa plane falsa. Confundit enim poetas Furios diversos et plures opiniones profert, quas probare non possumus. Atque fuerunt sane viri docti, qui nonnullas Weicherti coniecturas reiecerunt. Sed controversiam nondum diiudicatam esse puto, propterea quod nemo post Weichertum totam rem ita tractavit, ut eis, quae adhuc prolata sunt, accurate examinatis certa ab incertis disiuncta sint. Sciens hoc dico. Nam quamquam ante paucos annos G. B. Camozzi**) copiose de Marco Furio Bibaculo disseruit, tamen plerumque, imprimis in fragmentis attribuendis, auctoritate Weicherti ducitur atque de priorum sententiis quidem fusius dicit, sed ea, quae viri docti nostri saeculi de Furiis poetis scripserunt,

*) Poetarum Latinorum ..... vitae et carminum reliquiae. Lps. 1830 pgg. 331—364.

**) Rivista di filologia ed istruzione classica vol. XVI (1888) pgg. 161—217.

aut non potuit inspicere aut non recte examinavit. Quae cum ita sint, non inutile esse existimo de tota re denuo inquirere et quaecumque a viris doctis*) de Furiis poetis disputata sunt, in unum congerere et accurate examinare, ut intellegatur, quid certum, quid probabile, quid reiciendum sit. Atque quoniam controversia de Furiis poetis eorumque fragmentis orta est ex interpretandis duobus locis Horatianis, inde exordium disserendi faciam et primo capite demonstrabo tres fuisse Furios poetas. Quorum de vitis et reliquiis sequentibus capitibus dicam. —

---

*) Estré, Horatiana prosopographia p. 108 sqq.
Nipperdey, opuscula pgg. 499—502.
A. Wissowa, Über die den Dichter Furius betreffende Stelle in Horaz' sat. II, 5, 41. Prgm. des kath. Gymn. zu Breslau 1867.
Bernhardy, Röm. Litteraturgeschichte, 5. Aufl. p. 485 Anm. 366; p. 566 Anm. 430.
Ribbeck, Gesch. der röm. Dichtung I, p. 295; p. 343.
Teuffel, Gesch. der röm. Litteratur, 5. Aufl. § 150, 1. § 192, 4, 5, 6.
Schanz, Röm. Litteraturgeschichte p. 95. p. 148.

ei attribuerunt, nam infra (cap. II.) hos omnes Auli Furii Antiatis esse ostendam. Contra iure Nipperdeius*) monuit epicum carmen magnum et historicum repugnare omnino consuetudini eorum poetarum, quibus annumerandus est Bibaculus. Fuit enim ex eorum numero, qui Alexandrinos potissimum secuti ab antiquorum consuetudine discedebant et novi vel *νεώτεροι* a Cicerone**) appellabantur. Hi poetae omnes, ut bene exposuit Nipperdeius, componebant minora carmina maxime amatoria, iambos, epigrammata, in epico genere et ipsa minora carmina fabulas magna doctrina exornatas, non historiam tractantia scripserunt, qualia erant Catulli epithalamium Pelei et Thetidis, Calvi Jo, Cinnae Zmyrna. Cum igitur per se non sit probabile ab hac consuetudine Bibaculum recessisse et apud omnes veteres scriptores altum silentium sit de carmine epico Bibaculi, evincitur aut nullum omnino carmen epici generis poetam scripsisse, id quod verisimillimum est, aut certe non carmen historicum de bello Gallico. Quid? quod ne argumentum quidem aptum carminis invenire possumus, si Pseudo-Acronis annotationem Furium Bibaculum scripsisse *‚pragmatiam belli Gallici'* veram esse censemus. Nam de nullo alio bello Gallico cogitari potest nisi de illo bello, quod Julius Caesar in Gallia gessit. Tacito autem teste, apud quem *ann. IV, 34* Cremutius Cordus dicit: *„carmina Bibaculi et Catulli referta contumeliis Caesarum leguntur, sed ipse divus Julius, ipse divus Augustus tulere ista et reliquere'*, Bibaculus erat et C. Julio et Octaviano inimicus. Neque enim ex verbis Cremutii conicere licet a Bibaculo solum Augustum carminibus esse carptum, quoniam a Catullo unum Caesarem esse laesum constat. Nam haud dubie Bibaculus etiam Julium Caesarem vexavit carminibus, quia probabile est, eum si Octavianum dominationis appetentem vidit et laesit, idem de Julio Caesare sensisse quod Catullum. Quae cum ita sint, non video, quomodo fieri

*) l. l. p. 500.

**) cfr. Tusc. III, 19, 45. or. 48, 161. ad Att. VII, 2, 1.

potuerit, ut inimicum carmine epico laudaret. Nihil aliud in tanta difficultate relinquitur, nisi ut credamus Bibaculum partes suas postea commutavisse, sed hoc per se nullam veritatis speciem habet.

Praeterea fides scholiorum refellitur iis, quae de praestantia carminum Bibaculi ab aliis traduntur. Testimoniis enim, quae apud Quintilianum, Tacitum, Diomedem, a quibus poeta una cum Archilocho, Hipponacte, Lucilio, Catullo, Horatio nominatur, satis elucet Bibaculum fuisse optimum poetam imprimis in iambica poesi. Atque recte scriptores veteres iudicasse Bibaculum excellentem fuisse poetam fatebitur, qui versus Catullianis simillimos legerit, quamvis pauca et parva fragmenta relicta sint (cfr. cap. III). Itaque non est verisimile poetam simplicitate verborum et sententiarum insignem in tantum tumorem tantamque insulsitatem incidisse, ut Horatio ludibrio esset. Argutius autem quam verius, ne dicam inepte, iudicant, qui dicunt Bibaculum optimum quidem iambographum fuisse, sed pessimum poetam epicum. —

Furius Bibaculus igitur nullo pacto potest esse poeta ab Horatio utroque loco derisus. Atque verum hoc esse etiam ex ea re apparet, quod viri docti frustra studuerunt causas explorare, cur maxima acerbitate in Furium Bibaculum usus sit Horatius. Jahnii coniecturam Furium Bibaculum iram Horatii subiisse, quod inter alios etiam Orbilium laesisset*), Weichertus**) bene reiecit argumento petito ex Horatii ipsius epistula *II, 1, 70*, ubi poeta illudit magistrum plagosum. Sed ipse Weichertus, quem nuper Camozzi secutus est, nimis fretus scholiastis comminisci cogitur aliam acerbitatis Horatii in Bibaculum causam. Putat enim hunc admiratorem magnum Lucilii indigne ac moleste accepisse iudicium poetae novelli de Lucilio *sat I, 4* prolatum eumque hac de causa sermones Horatii maligno animo

*) cfr. cap. III frgm. 3.

**) l. l. p. 363, 21.

castigasse. Horatium autem audito sive lecto illo Bibaculi iudicio indignatum primum lenius tectoque nomine eum *sat. I, 10, 36* carpsisse. Sed Furium, qui intellexisset, quis iste ‚*Alpinus*‘ esset, in Horatium invectum versibus malignis tantopere, ut hic illiberabili prorsus petulantia uteretur *sat. II, 5, 41.*

Supervacaneum esse existimo contra tam subtilem explicationem multa proferre, cum tota disputatione perspicuum factum esse putem Bibaculum omnino non esse posse poetam Horatianum. Illud tantum addam nos ignorare Bibaculum fuisse obtrectatorem Horatii, contra, si fuisset, ille certe eum non obiter laesisset, sed accuratius se defendisset ab opprobriis poetae sua aetate insignis. Sed eo consilio Weicherti coniecturas adscripsi, ut manifestum fieret in sententias futiles et commenticias eos trahi, qui sequentes scholiastas poetam illis locis Horatianis perstrictum Bibaculum putant. —

Cum vero supra explicaverim, quo modo Porphyrio, quem, certe ad *sat. II, 5, 41,* reliqui scholiastae secuti sunt, in Furium Bibaculum inciderit, et consentaneum sit Pseudo-Acronem comparatis duobus locis etiam *sat. I, 10, 36* Bibaculum notatum esse putasse, certe nemini mirum esse potest, quod Furium Bibaculum castigatum poetam esse opinati sint scholiastae. Accedit, quod scimus etiam aliis locis velut *sat. I, 3, 130 (Alfenus), sat. I, 3, 82 (Labeo), epp. II, 3, 301 (tonsor Licinus)* a scholiastis personas Horatianas plane ignotas cum hominibus aliunde notis confusas esse. —

Quoniam igitur graves causae sunt, cur de Furio Bibaculo cogitari non possit, Wissowa et Ribbeckius alterum certe ex locis Horatianis *(sat. II, 5, 41)* referendum esse existimaverunt ad alium poetam ex eadem gente Furia, Aulum Furium Antiatem, quem aequalem et familiarem Lutatii Catuli illius, qui Cimbros ad Vercellas devicit, fuisse et carmen epicum composuisse memoriae est proditum. Quam sententiam argumentis accuratius confirmare studuit Wissowa,

Ribbeckius autem eam simpliciter profert secutus, ut videtur, Wissowam. Itaque videamus, quid afferat ille pro opinione sua: Gellium, a quo (*N. A. XVIII, 11)* diserte versus epici Furii Antiatis traditi sint, narrare a Caesellio Vindice, *‚homine haut indiligente et hautquaquam inerudito'*, Furium Antiatem, quia dedecoravisset linguam Latinam fictionibus verborum, ita reprehensum esse, ut verisimile sit eum etiam ea commisisse, quae Horatius vituperet. Sed contra hanc rationem dicendum est illud iudicium grammatici omnino non posse comparari cum iudicio Horatii, cum ille, quod nonnulla verba nova finxerit, hic, quod tumore absurdisque imaginibus usus sit, Furium vituperet. Et Gellius ipse iure mihi videtur defendisse fictiones Antiatis his verbis: *‚mihi quidem neque abhorrere a poetica facultate visae sunt neque dictu profatuque ipso taetrae aut insuaves esse, sicuti sunt alia ab illustribus poetis ficta dure et rancide'*. Argumentum igitur ex reprehensione Caesellii Vindicis sumptum valde incertum est. — Paulo gravius sane videri potest alterum argumentum, quod ex scholiis Veronensibus in *Verg. Aen. IX, 379.* Wissowa petivit. Hoc loco enim in codice leguntur haec: ‚— *in annalibus belli Gallici: „Hic qua ducebant vastae divortia fossae“'*, ubi Wissowa ante *‚in annalibus belli Gallici'* nomen *‚Furius Antias'* olim exstitisse et titulum *‚pragmatia belli Gallici'* a Pseudo-Acrone traditum non diversum esse ab eo, qui hoc loco legitur *‚annales belli Gallici'*, Beckerum*) secutus suspicatur et censet Pseudo-Acronem tantum de cognomine erravisse, sed titulum carminis ostendere ab Horatio carpi Furium Antiatem. Ut hanc opinionem refutem, paulo accuratius dicendum est de argumentis Beckeri, qui post Bernhardyum**) probare studuit carmen Furii Antiatis inscriptum fuisse *‚annales belli Gallici'*, nam Beckeri disputatione nititur explicatio Wissowae. Sunt igitur fere haec,

---

*) J. Becker, M. Furius Bibaculus und Aulus Furius Antias. Zeitschrift f. d. Altertumswissenschaft 1848 No. 75.

**) Bernhardy, Litteraturgesch. p. 485 Anm. 366.

quae protulit Beckerus: Cum Macrobius in libro sexto Saturnalium versus Furianos ex *‚annali'* primo, quarto etc. propter imitationem Vergilii afferat et scholiasta Veronensis ex *‚annalibus belli Gallici'* versum item propter imitationem Vergilii attulisse videatur, ad idem carmen, Furii Antiatis *‚annales belli Gallici'*, haec referenda esse. Argumentum autem carminis fuisse bellum Catuli contra Cimbros in Gallia cisalpina, cum teste Cicerone Catulus Auli Furii Antiatis familiaris fuerit. Pseudo-Acronem vero pro *‚annales belli Gallici'* scripsisse *‚pragmatia belli Gallici'* et duobus poetis confusis hoc epicum carmen Bibaculo attribuisse iniuria. Itaque cum etiam in lacuna scholiorum Veronensium litterae *‚s'* pars superesse videatur*), ibi verba *‚Furius Antias'* excidisse verisimillimum esse. — Sed num recte haec omnia disputata sint, valde dubito. Titulus enim carminis epici Furii Antiatis, si Macrobium sequimur, qui unum quemque librum simpliciter *‚annalem'* dicit, fuit *‚annales'*, non *‚annales belli Gallici'*. Praeterea non verisimile est scholiastam Veronensem versum ex *‚annalibus belli Gallici'* propter imitationem Vergilii, ut censet Beckerus, attulisse, nam versus Vergilianus *Aen. IX, 379: ‚obiciunt equites sese ad* d i v o r t i a *nota'* nihil aliud commune habet cum versu illo nisi unum vocabulum *‚divortia'*. In eis autem versibus, quos Macrobius laudat plura Vergilianis verbis similia insunt**). Denique non explicavit Beckerus, quo modo factum sit, ut Pseudo-Acro ‚p r a g m a t i a *belli Gallici'* diceret, non ‚a n n a l e s *belli Gallici'*. Quod vero nomen in lacuna scholiorum Veronensium olim fuerit, nescimus atque inutile esse puto de hac re coniecturas facere. Itaque ex omnibus argumentis, quibus Beckerus ad suam sententiam confirmandam usus est, relinquitur unum, amicitia Furii Antiatis et Catuli, qui bellum in G a l l i a cisalpina gessit et de rebus gestis suis librum misit ad poetam***), sed hac re una ne Beckerus quidem

*) cfr. K e i l i i annotationem in editione schol. Veron.

**) cfr. cap. II.

***) cfr. Cic. Brut. 35 et cap. II huius libelli.

ausus sit demonstrare titulum carminis Furii Antiatis fuisse ‚*annales* belli Gallici'. Hoc autem titulo remoto altera etiam illa causa, qua Wissowam dixi commotum esse, ut Furium Antiatem ab Horatio notatum esse putaret, ad irritum cadit. —

Iam vero certa argumenta sunt, quibus prohibemur, ne Furium Antiatem ab Horatio in satiris derisum esse credamus. Apparet enim Horatium utroque loco hominem suae aetatis, qui ob tumorem apud aequales infamis erat, perstringere, nam sic tantum dicacitas et acerbitas poetae perspicua esse poterat. Sed cum eo tempore, quo Horatius satiras conscripsit, Furius iam diu supremum diem obierit, illis locis perstringi non potuit. Praeterea Furius Antias, quem teste Macrobio Vergilius dignum esse censuit, quem legeret et imitaretur, vix tam ridiculum se praebuerat, ut iam mortuus ludibrio Horatio et aequalibus eius fieret. Denique iocularis poetae appellatio ‚*Alpinus*' nullam omnino explicationem habet, nam quae supra de Bibaculo disputans dixi, eadem fere omnia etiam de Antiate valent. —

Quae cum ita sint, aliam rationem inire debemus, ut explicemus, quis sit ille poeta Horatianus. Omnes scopulos, ut ita dicam, eluctamur, cum ‚*Alpinum*' verum cognomen esse dicimus et, quod loci Horatiani inter se congruunt, poetam illis locis irrisum Furium Alpinum cum Bernhardyo et Nipperdeio appellamus. Etenim non modo non potest causa inveniri, cur ‚*Alpinus*' nomen ioculare sit, sed ne probabile quidem est per se nomen esse fictum Nam omnino perpauca nomina ficta in satiris Horatianis sunt atque multa, quae olim pro nominibus fictis et a veteribus scholiastis et a recentioribus interpretibus habebantur velut Maltinus *(sat. I, 2, 25)* pro Maecenate et Villius *(sat. I, 2, 64)* Longarenusque *(sat. I, 2, 67)* pro Annio vel Milone vera hominum obscurorum nomina esse ostenderunt viri docti.*) Et ne quis

*) cfr. Madvig opusc. acad. I: Epimetrum de Horatii secundae satirae libri primi versu 25.
Szelinski. De nominibus personarum apud poetas satiricos Romanos. diss. Regimont. 1862.
Jaffe. De personis Horatianis. diss. Hal. 1885.

dubitet, num ‚*Alpinus*' cognomen Romanum fuerit, Julius Alpinus quidam est apud Tacitum *hist. I, 68* et plura eiusdem cognominis exempla praebent inscriptiones *). Quare non est, cur negemus etiam Furios nonnullos ‚*Alpinos*' vocatos fuisse. Quod praeterea nostrae sententiae opponi potest, nihil de Furio Alpino poeta memoriae esse proditum, non magnam habet vim. Nam in satiris Horatianis multae sunt personae**), de quibus praeter nomina nihil fere notum est, in his etiam poetae quidam ignobiles velut Fannius *(sat I, 4, 21* et *sat. I, 10, 80)* et Cassius Etruscus *(sat. I, 10, 62)*. Nullo pacto denique in eo offendendum est, quod duo poetae eiusdem gentis, Furius Bibaculus et Furius Alpinus, tempore fere eodem fuerint.

*) Corp. inscr. Lat. III. 3838. 5815. V. 3222. 3356. 6597. 6873. 7813. 7819. VII. 30. XVII. 3402. 5679. 22. 23. 24.

**) cfr. Hanna. Zur Prosopographie des Horaz. 2 Prgg. Krems 1885/86.

Caput II.

De Aulo Furio Antiate.

Ut aliquid certi de aetate Furii, poetae epici, statuamus, unum habemus testem Ciceronem, qui *Brut. XXXV § 132* haec dicit de Q. Lutatio Catulo: ‚*Jam Q. Catulus non antiquo illo more, sed hoc nostro, nisi quid fieri potest perfectius, eruditus. Multae litterae, summa non vitae solum atque naturae, sed orationis etiam comitas, incorrupta quaedam Latini sermonis integritas; quae perspici cum ex orationibus eius potest tum facillime ex eo libro, quem de consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis misit ad* A. Furium poetam, familiarem suum.' Praenomen igitur poetae fuit Aulus, cognomen autem tradidit Gellius in indice capitis *XI.* libri *XVIII.* Noctium Atticarum: ‚*Verba ex carminibus* Furii Antiatis *inscite a Caesellio Vindice reprehensa, versusque ipsi, in quibus ea verba sunt, subscripti.*' De anno autem natali Auli Furii Antiatis nihil habemus compertum, sed ex eis, quae Cicero dicit, conicere aliquid possumus. Furius enim, si Q. Lutatii Catuli, qui anno *a. Chr. n. 102.* cum Mario consul fuit et Cimbros ad Vercellas devicit diemque supremum anno *a. Chr. n. 87.* obiit, familiaris a Cicerone appellatur, eiusdem fere aetatis fuerit necesse est, id est natus est circa medium saeculum secundum *a. Chr. n.* et fortasse mortuus est circa annum *a. Chr. n. 80.* Sine dubio autem, ut iam supra dixi, eo tempore, quo Horatius satiras composuit, iam diu diem supremum obierat.

Carmen Furii Antiatis legerat Caesellius Vindex, quem temporibus Traiani floruisse verisimile est. Is enim de dictione poetae, fortasse in ‚*commentariis lectionum antiquarum*',

disputaverat eumque reprehenderat, quod nova verba finxisset. Titulum autem carminis simpliciter ‚*annales*' fuisse, non ‚*annales belli Gallici*' iam supra dixi. Atque cum Macrobius, qui in libro VI. Saturnalium affert versus quosdam Furii, quos cum versibus apud Gellium Furio Antiati attribuendos esse persuasum habeo, undecimum annalem commemoret, annalium minimum undecim libri fuerunt. Secutus esse videtur Furius in poesi Ennium, qui ipse quoque ‚*annales*' scripserat, et fortasse, ut suspicatur Mommsenus*), ille inde exordium fecit, ubi carminis finem fecerat Ennius, et narrationem rerum Romanarum usque ad suam aetatem versibus deduxit, quamquam hoc certis argumentis confirmari nequit. Iam vero quod Cicero dicit Lutatium Catulum ad Aulum Furium librum misisse, recte viri doc ti**) suspicati sunt Catulum hoc fecisse eo consilio, ut accuratius et ornatius scriberet Furius de rebus gestis ipsius sicut Cicero***) ad Posidonium eodem consilio ὑπόμνημα de consulatu suo misit. Neque tamen ex hac una re conicere licet, solas res a Catulo gestas Furii carmine fuisse descripta, sed putandum est poetam multo ampliorem tractantem materiam eo loco, quo de bello Cimbrorum ei narrandum erat, libro familiaris sui usum esse. —

Exstant, ut iam dixi, versus ex annalibus Furii Antiatis et apud Gellium et apud Macrobium. Sed cum controversia inter viros doctos fuerit, utrum hi versus omnes Furio Antiati an nonnulli potius Bibaculo attribuendi sint, de versibus ipsis quaerendum est accuratius. Et Gellius quidem in indice, quem supra adscripsi, capitis XI. libri XVIII. Noctium Atticarum dicit versus, quos a reprehensione Caesellii defendit, esse Furii Antiatis. Caesellius Vindex enim, ut narrat Gellius, Furium ea de causa vituperaverat, ‚quod terram in lutum versam ‚*lutescere*' dixisset, et tenebras in

*) Roem. Gesch. Bd. II, p. 444.

**) cfr. Peter, Jahrb. f. Phil. 115 p. 751.

***) cfr. ad Att. II, 1, 2.

noctis modum factas ‚*noctescere*', et pristinas reciperare vires ‚*virescere*', et quod ventus mare caerulum crispicans nitefacit ‚*purpurat*' dixisset, et opulentum fieri ‚*opulescere*'. Deinde Gellius versus ipsos addit, quorum quattuor etiam Nonius affert nimirum ex Gellio, hos:

1) ‚*Sanguine diluitur tellus, cava terra lutescit.*'
cfr. *Non. 133, 23.*

2) ‚*Omnia noctescunt tenebris caliginis atrae.*'
cfr. *Non. 145. 9.*

3) ‚*Increscunt animi, virescit volnere virtus.*'
cfr. *Non. 188, 5.*

4, 5) ‚*Sicut fulca levis volitat super aequora classis,*
Spiritus Eurorum viridis cum purpurat undas.'

6) *Quo magis in patriis possint opulescere campis.*'
cfr. *Non. 148, 15.*

Weichertus (*l. l. p. 353*) versus hos Furio Antiati abiudicavit grammaticis, ut ita dicam, causis commotus vel potius opinionis ante conceptae laqueis irretitus et tribuit Bibaculo in hunc fere modum disputans: ‚*Furium Antiatem viventem ea aetate, qua uti rei publicae robur, ita ingeniorum vis nondum elanguisset nec nervosa sermonis Latini gravitas luxu et deliciis fracta fuisset, tales scribere non potuisse versus, quales a Gellio ei adscribantur, molles, elumbes et verborum ampullis diffluentes. Ob dictionis tumorem eorum pro auctore esse habendum eum poetam, qui acerbe ab Horatio perstringatur, scilicet Furium Bibaculum.*' Sed contra hanc opinionem imprimis illud pugnat, ut ipse confitetur Weichertus, quod Gellius claris verbis in indice dicit, allatos versus esse Furii Antiatis. Sane temerarium est, si quis contendat, indices capitum a librario quodam postea esse additos, nam Gellius ipse in praefatione *§ 25*: ‚*Capita, inquit, quae cuique commentario insunt, exposuimus hic universa, ut iam statim declaretur, quid quove in libro quaeri invenirique possit*', ex quo elucet ipsum hos indices composuisse. De fide autem et genuina forma verborum dubitari non potest. Praeterea summa cautione opus est, ne ex paucis fragmentis, praesertim

versibus singulis ex carmine excerptis, nimium coniciamus, id quod fecit Weichertus. Qui ea sola causa, quod apud Horatium turgidus poeta notatur, commovetur, ut versus a Gellio traditos tumoris plenos et elumbes appellet, quod ne Caesellius quidem dixerat. In versibus autem, si quid reprehensione dignum est, non tumor dictionis, sed fictio nonnullorum verborum inchoativorum reprehendi potest, a quo crimine Gellius ipse Furium defendit, ut iam antecedente capite commemoravi. Sine ulla igitur causa vir doctus confusionem a Gellio factam esse censuit, ut Bibaculum malum poetam epicum, id quod falsum est, fuisse probare posset. Quae cum ita sint, facere non possumus, quin Gellio credamus et versus ab eo traditos tribuamus Furio Antiati. —

De ipsis versibus, quos supra posui, pauca annotabo, ne repetam ea omnia, quae in editione Hertzii de lectionibus librorum manu scriptorum et emendationibus virorum doctorum adscripta sunt — In versu tertio codices Gellii exhibent ‚*virescunt volnere virtus*', quae verba explicari nequeunt, nam ‚*virtus*' cum Gronovio pro ‚*virtutes*' dictum accipere non possumus. Sed ut alias coniecturas omittam, verum sine dubio est ‚*virescit volnere virtus*', quod in Nonii codicibus scriptum est: nam ‚*viresc* u n t' ortum est ex similitudine antecedentis formae ‚*incresc* u n t'. — Versus quartus non distinguendus est a quinto post ‚*classis*' puncto posito, quod fecerunt W e i c h e r t u s*) et B a e h r e n s i u s**), neque enim ullum vocabulum in priore versu interpretatur Gellius et ‚*cum*' coniunctio in quinto versu ita tantum intellegitur, si duo versus coniunguntur. — Idem versus quartus in omnibus Gellii codicibus sic est scriptus. ‚*Sicut* f u l i c a *levis volitat super aequora classis.*' Cum metrum sine dubio claudicet, versum corrigere studuerunt viri docti et permultas coniecturas proposuerunt, quas fere omnes H e r t z i u s***) enumerat.

*) l. l. p. 349.

**) Fragmenta Poetarum Romanorum p. 277.

***) Jahrb. f. Phil. 1862 p. 719 et in editione Noctium Atticarum maiore.

Omnium autem, quae adhuc prolatae sunt, emendationum mihi maxime arridet Pontani, qui teste Gronovio ad hunc locum scripserat ‚*fulca*' pro ‚*fulica*' esse legendum, et iure Hertzius et Fleckeisenius*) eam probaverunt, quamvis nusquam apud veteres scriptores forma ‚fulca' inveniatur. Sed cum etiam Cicero**) propter metrum ‚*fulica*' in ‚*fulix*' mutavisse videatur et constet***), vocalem ‚*i*' inter duas consonas ‚*l*' et ‚*c*' eici, forma ‚*fulca*' nihil miri habet.

Atque haec quidem hactenus de versibus Furii Antiatis a Gellio allatis. Restat, ut adscribam versus a Macrobio exhibitos et quaeram, num hi quoque eidem poetae tribuendi sint. Sunt autem in libro sexto Saturnalium hi versus compositi cum quibusdam Vergilianis, in quibus Vergilius Furium imitatus esse dicitur:

Sat. VI, 1, 31: ‚*Tithoni croceum linquens Aurora cubile*'.
Aen. IV, 585.

Furius in primo annali:

1) ‚*Interea Oceani linquens Aurora cubile*'.

Sat. VI, 1, 44: ‚... *placidam per membra quietem irrigat*'
Aen. I, 691.

Furius in primo:

2) ‚... *mitemque rigat per pectora somnum*'.

Sat. VI, 4, 10: ‚... *Quam tota cohors imitatu relictis ad terram defluxit equis.*' *Aen. XI, 500.*

sic Furius in primo:

3) ‚*Ille gravi subito devinctus volnere habenas misit equi lapsusque in humum defluxit et armis reddidit aeratis sonitum.*'

---

*) Jahrb. f. Phil. 1868 p. 574, ubi simila exempla profert vir doctus.

**) cfr. de div. I, 8, 14.

***) cfr. Kuehner, l. l. I, p. 83, 5 et 84, 3.

Sat. VI, 3, 5: Furius in quarto annali:

4) ‚*Pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir*'.

hinc Vergilius ait:

‚*Haeret pede pes densusque viro vir.*' *Aen. X, 361.*

Sat. VI, 1, 32: ‚*Quod genus hoc hominum quaeve hunc tam barbara morem?*' *Aen. I, 539.*

Furius in sexto:

5) ‚*Quod genus hoc hominum, Saturno sancte create?*'

Sat VI, 1, 33: ‚*Rumoresque serit varios ac talia fatur.*' *Aen. XII, 228.*

Furius in decimo:

6) ‚*Rumoresque serunt varios et multa requirunt.*'

Sat. VI, 1, 34: ‚*Nomine quemque vocans reficitque ad proelia pulsos.*' *Aen. XI, 731.*

Furius in undecimo:

7) ‚*Nomine quemque ciet: dictorum tempus adesse commemorat.*

deinde infra:

8) ‚*Confirmat dictis simul atque exsuscitat acris*
ad bellandum animos reficitque ad proelia mentes.'

Cum omnes versus in manu scriptis libris ita exhibeantur, ut emendatione et explicatione non egeant, statim ad eam quaestionem accedam, num ii quoque Furio Antiati sint tribuendi. Baehrensius*) enim Furii Bibaculi, non Furii Antiatis esse versus censuit ea potissimum re commotus, quod opinabatur ‚*pragmatiam belli Gallici*', quam Bibaculi esse dicit Pseudo-Acro, idem esse opus atque ‚*annales*' vel potius ‚*annales belli Gallici*', ex quibus Macrobius versus adscripserit. Haec autem causa iam eis, quae primo capite de titulo ‚*annales belli Gallici*' disputavi, ad irritum redacta est. Itaque non modo nihil est, quo demonstretur, versus

*) Com. Cat. p. 21 et F. P. R. pgg. 318. 319.

apud Macrobium esse Furii Bibaculi, sed etiam nonnullis rebus elucet Furii Antiatis eos esse. Primum enim moneo Macrobium hoc loco *(Sat. l. VI.)* tantum dicere Furium, *Sat. II, 1, 13* (cfr. cap. I) autem Furium Bibaculum. Discrimen igitur facere videtur, neque enim intellegitur, cur altero loco cognomen et nomen, altero solum nomen posuerit, si eundem hominem significare volebat. Deinde tenendum est utique nos praeter scholia Horatiana, testes dubios, omnino nescire Bibaculum scripsisse carmen epicum, hoc autem constare de Furio Antiate. Quare etiam versus apud Macrobium exstantes Furio Antiati tribuendos esse persuasum habeo.

Ac ne illud quidem contra eam sententiam proferri poterit: versus apud Macrobium scriptos tam diversos esse ab eis, quos Gellius tradit, ut uni eidemque poetae tribui nequeant. Nam ut non dicam ex paucis fragmentis de dictione omnino certo iudicari non posse, si quae differentia elocutionis in his versibus conspicitur, causa eius diversitatis facile apparet, cum reputamus, quo consilio hi versus ab utroque scriptore adscripti sint. Gellius enim versus Furianos omnes ob insignem et notabilem formam aliquam verbi a sermone cotidiano recedentis affert, ut ex eis solis de indole et sermone poetico Furii nihil conicere possimus. Macrobius vero versus Furii affert, ut ostendat imitationem Vergilii. Itaque quod diversis de causis tradita sunt fragmenta, non plane idem esse dicendi genus mirum non est. —

Haec igitur sunt, quae pro certis Furii Antiatis reliquiis haberi possunt, nam versum a Paulo Merula ad Ennii annales (*p. XLI*) ut initium carminis Antiatis allatum: ‚*Res mihi Romanas scripturo Marspiter adsis*', qui olim sub Furii nomine ferebatur, nullam fidem habere constat: cfr. Lawicki ‚*De fraude Pauli Merulae, Ennianorum annalium editoris*', (dissertatio Bonnensis 1852) *p. 15.*

Caput III.

De Marco Furio Bibaculo.

De Furio Bibaculo, quamquam erat poeta sua aetate insignis, tamen non multa memoriae sunt tradita. Unus enim Hieronymus nobis de vita et patria poetae testis est haec in Eusebii Chronicis ad annum Abr. *1914* = $^{651}/_{103}$ (in codd. Amand. et Freher. ad an. *1915* = $^{652}/_{102}$) scribens: ‚*M. Furius poeta cognomento Bibaculus Cremonae nascitur.*' Inde constat praenomen Furii Bibaculi fuisse Marcum, patriam Cremonam, sed sunt certae causae, quibus commovemur, ut cum Nipperdeio, qui post Naekium*) nonnulla contra annotationes Hieronymi protulit, de fide anni natalis poetae dubitemus. Nam si accurate fragmenta ipsius poetae, testimonia omnium gravissima, imprimis versus scriptos apud Suetonium, legimus, invenimus multa cum eis, quae Hieronymus de anno natali tradit, pugnantia. Bibaculus enim Catonem, poetam grammaticumque notissimum, ‚*meum*' (cfr. *fragm. I, 1)* et ‚*unicum* magistrum', ‚*summum grammaticum*', ‚*optimum poetam*' (cfr. *fragm. 2 v. v. 3. 4*) appellat, quibus verbis haud dubie tanta veneratio tantaque pietas significatur, ut merito ac iure conicias Bibaculum non solum amicum, sed etiam discipulum et auditorem illius Catonis fuisse. Atque cum ex alio fragmento (cfr. *fragm. 7*) apud eundem Suetonium servato, quod Furii Bibaculi ipsius esse verisimillimum est, appareat Valerium Catonem ‚*docuisse multos et nobiles, visumque esse peridoneum praeceptorem, maxime ad poeticam tendentibus*', Bibaculus in eis habendus est, quos ille ‚*facit poetas*'.

*) Carmina Valerii Catonis etc. Bonnae 1847 p. 267.

Iam ille magister poetarum non multo ante annum *a. Chr. n. 100* natus est, itaque paene ad annum aequales fuerint Valerius et Bibaculus necesse est, si Hieronymi annotationem de anno natali sequimur. Poeta Bibaculus autem de summa senectute (cfr. *fragm. 1, 8*) Catonis ita dicit, ut minorem natu de multo maiore, non aequalem de aequali scribere fateri debeamus. Probabilius igitur et iustius est aliquid de fide Hieronymi, qui haud semel erravit, detrahere quam ipsi non credere Bibaculo.

Accedit aliud, quo Hieronymo de Bibaculi anno natali plane confidere vetamur. Deridet enim acerbe poeta Orbilium Pupillum, illum Horatii praeceptorem, quod senem memoria defecerit (cfr. *fragm. 3*). Atque quoniam Orbilius, qui anno *a. Chr. n. 114* natus prope ad centesimum aetatis annum vixit, circa annum *a. Chr. n. 17* mortuus est, postquam summa senectute memoria eius deleta est, putandum est Bibaculum, cum illum versum componebat, octogenarium fuisse ipsum, si vera est annotatio Hieronymi. Nullo autem modo verisimile est Furium ipsum senem in hominem prope coaetaneum tanto ludibrio usum esse. Equidem miror, quod Weichertus, quamquam censuit (*l. p. l. 357*) versum post mortem demum Orbilii, quod haud negaverim, scriptum esse, tamen de fide Hieronymi non dubitavit. Quodam modo denique testes quoque veteres Quintilianus et Diomedes, a quibus Bibaculus una cum Catullo ponitur vel potius post eum ponitur, id indicare mihi videntur Bibaculum non ante Catullum esse natum. — His omnibus de causis commotus sum, ut cum Nipperdeio annum natalem Furii Bibaculi minimum viginti annis promovendum esse persuasum habeam et censeam poetam natum esse circa annum octogesimum *a. Chr. n.* et vitam produxisse minimum ad annum *a. Chr.* vicesimum, imprimis propter versum in Orbilium. Hieronymus autem, fortasse duobus Furiis poetis confusis, eo anno ipso, quo certe floruit Furius Antias, natum esse Bibaculum tradidit. —

Quoniam pauca de vita et persona Bibaculi memoriae

prodita sunt, viri docti operam dederunt, ut aliunde aliquid de poeta illo explorarent. Omitto nunc illud quod nonnulli existimaverunt, Bibaculum fuisse hominem voluptati deditum, propterea quod de ea re copiosius in primo capite disputavi; omitto etiam opinionem inanem nonullorum Cremonensium*), qui, ut patriam suam exornarent, Bibaculum inter Vergilii magistros rettulerant. Sed pauca mihi dicenda sunt de sententia Ritteri in editione Horatii prolata epodon libri carmen sextum, qui in nonnullis manuscriptis ‚*In Cassium Severum*' inscribitur, in Furium Bibaculum esse compositum. Hoc enim recte vidit Ritterus hominem carmine illo castigatum esse non posse Cassium Severum**), qui anno $^{32}/_{785}$. exsul mortuus est, quia eo tempore, quo Horatius carmen illud composuit, nondum togam virilem sumpserat. Haud dubie iambographum esse significatum demonstravit vir doctus, talem vero praeter Horatium unum tunc fuisse Furium Bibaculum, acerbitate versiculorum insignem, cui crimini dari posset licentia maledicendi in homines innoxios usurpata. Ex Taciti loco, quem in primo capite adscripsi, colligi posse opinatus est Ritterus Bibaculum Antonii partibus addictum fuisse, atque cum ea res altius, id est ad Octavianum quoque, spectaret, consulto Horatium nomen tacuisse suspicatus est Sed contra hanc interpretationem dicendum est omnino non quadrare verba Horatii in Furium Bibaculum, nam ne ille quidem hunc, qui ausus erat Caesares carpere et sicut quondam ipse Horatius rei publicae liberae amantissimus erat, ‚*ignavum*' et ‚*immerentes hospites* vexantem' (cfr. *epod. VI, 1. 2)* appellaverit Neque quidquam in verbis Taciti inest, quod ostendat Bibaculum re vera ab Antonii partibus stetisse. Omnino supervacaneum esse puto de certo poeta carmine illo perstricto quaerere, etiamsi alii de Domitio Marso aut de Maevio aliisque cogitaverunt nempe eodem

*) cfr. Camozzi l. l. pgg. 174—176, qui accuratius et copiosius hanc sententiam reiecit.

**) De Cassio Severo cfr. Tac. ann. I, 72, ibid. IV, 21. dial. 19, 26.

iure quo Ritterus de Bibaculo, cum in ipsis verbis Horatii non sit personae significatio talis, ut certo dici possit, quem hominem carmine Horatius carpserit. --

Non minus inanis et falsa est sententia eorum, qui Furium, quem Catullus carminibus *XI, XVI, XXIII, XXIV (v. 5 = XXIII, 1), XXVI* ut rivalem et adversarium et mendicum hominem sugillat, Bibaculum esse voluerunt Nam Furius Catullianus fuit Pisaurensis, id quod recte Westphalius aliique Catulli editores ex carminis LXXXI versibus tertio et quarto coniecerunt, et homo plane ignobilis. —

Quascumque modo attuli opiniones, sane futiles et commenticiae sunt appellandae. Probabilior autem vel potius sine dubio vera est coniectura Bibaculum fuisse discipulum Valerii Catonis et una cum Catullo, Calvo, Cinna, Cornificio, aliis habendum esse in numero eorum, quos ut ‚*cantores Euphorionis*' derisit Cicero*). Nam Bibaculum in illa secta fuisse, et testes veteres et fragmenta nos docent. Quintilianus *inst. or. X, 1, 96* de eo dicit haec: ‚*Iambus non sane a Romanis celebratus est ut proprium opus,* ** *quibusdam interpositus: cuius acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio, quamquam illi epodos intervenit, reperietur.*' In quibus quamquam quaedam corrupta esse apparet**), tamen id certum est Quintiliano ante Horatium in iambica poesi nullos praestantiores esse visos quam Catullum et Bibaculum. Quod quale sit, melius aestimabit, qui ne Calvum quidem, quem ‚*iambos plenos ingentis animi*' scripsisse memoriae traditum est***), a Quintiliano hoc loco commemorari reputaverit. Deinde apud Tacitum, cuius verba iam primo capite attuli (*ann. IV, 34*), rursus in eodem ordine, quo Catullus, ponitur Bibaculus. Denique Diomedes *art. gram. libro III (I, 485, 17 Gr. L.* Keil) haec, quae ex Suetonii libro de poetis hausit, scribit: ‚*Cuius carminis* (scil. *iambici) praecipui*

*) cfr. Tusc. III, 19.

**) cfr. ea, quae annotavit Car. Halm in editione sua.

***) cfr. Sen. contr. VII, 47.

scriptores apud Graecos Archilochus et Hipponax, apud Romanos Lucilius et Catullus et Horatius et Bibaculus.' Consentiunt igitur omnes optimum fuisse poetam certe in iambica poesi Furium Bibaculum. Nihil contra hos testes valet iudicium Messalae Corvini, qui teste Suetonio *de gram. c. 4* (ed. Reifferscheid *103, 13)* in quadam epistula scripsit: ‚*non esse sibi rem cum Furio Bibaculo, ne cum Ticida* (codd. *Tigida*) *quidem aut litteratore Catone.*' Nihil enim aliud inde colligi potest nisi Messalae displicuisse rationem illorum novorum poetarum, qui in disciplina Catonis erant, neque tamen illo iudicio evincitur Bibaculum fuisse malum poetam. Num ad certum librum Bibaculi illud Messalae spectaverit, ut Weichertus (*l. l. p. 361*) suspicatur, explorari nequit neque ego crediderim.

Ut redeam ad testimonia Quintiliani et Diomedis, inde id conicere non licet Furium Bibaculum nihil aliud scripsisse nisi iambos. Contra per se verisimile est eum eadem fere carmina composuisse atque ceteros illius sectae poetas: epigrammata, ludicra, amatoria sicut Catullus. Atque ex hac ipsa re, quod non diserte traditum est eum talia scripsisse, elucere mihi videtur plurima carminum eius fuisse iambico metro et praestantia iambicae poesis potissimum gloriam et laudem assecutum esse Bibaculum. Iniuria autem Bernhardyus et alii, qui poetae obtrectabant, ex verbis Quintiliani et Taciti atque ex versiculis in Catonem (cfr. *fragm. 1* et *2*) coniecerunt Bibaculum acerbum et maledicum hominem fuisse. Nam etiamsi Quintilianus et Tacitus acerbitatem iamborum eius praedicant, tamen ex hac re sola non est colligendum Bibaculum tantum acerbitate excellentem fuisse. An Catullus et Horatius, quibuscum Quintilianus eum comparat, tantum acerbi iamborum scriptores fuerunt et hac una re censentur? Versus autem, qui exstant de Valerio Catone, elegantes et suaves non modo non ambiguitatem aculeatam et ironiam ostendunt, sed etiam omni laude digni sunt. Nam recte iudicavit de versibus illis Nipperdeius dicens: ‚*Quorum versuum* (scil. a *Suetonio traditorum*) (cfr. *fragm. 1* et *2*)

prioribus nihil mea sententia potest esse dulcius: alteri de Catonis difficultate rei familiaris tanta cum festivitate et tam insigni hominis laude iocantur sine ulla malitia, ut gratissimi esse debuerint nobili grammatico, cui familiaris paupertas neque summum malum videretur neque pudori esset.' Bibaculus igitur iocose Catonem magistrum consolatur venerans eum aperte sine ironia et ambiguitate. Malitiam autem inesse in versibus eam ob rem potissimum dixerunt, ut haberent, unde Bibaculum hominem improbum et ingratum fuisse ostenderent.

Quoniam in primo capite satis demonstravisse mihi videor Bibaculum carmen epicum non composuisse, restat, ut dicam de libro eius pedestri sermone conscripto, cui titulus erat ‚*Lucubrationes.*' Quo titulo fortasse hoc significabat Bibaculus se horis vespertinis et nocturnis librum composuisse sicut posteriore tempore Gellius libros suos collectaneos eadem ratione ‚*Noctes Atticas*' inscripsit, ‚*quoniam longinquis per hiemem noctibus in agro terrae Atticae commentationes ludere et facere*' exorsus erat. De argumento autem nihil certi tradiderunt veteres, sed equidem puto nos penuriam testimoniorum coniecturis quodam modo compensare posse. Jure, ut iam supra exposui, ex Macrobii Saturnalium loco *II, 1, 13* colligere possumus, in ‚*Lucubrationibus*' congesta fuisse ioca dictaque virorum excellentium. Sed longius progredi et in re obscura coniecturam proferre mihi liceat. Nam lucem, ut ita dicam, plane novam ‚*Lucubrationes*' accipere censeo, si ad hoc opus alius locus Macrobianus refertur. Macrobius enim *Sat. III, 9, 6,* ubi de carminibus, quibus Romani ad deos ex urbe obsessa evocandos et ad devovendas urbes utebantur, dicit, haec scribit: ‚*nam repperi in libro quinto Rerum Reconditarum Sammonici Sereni*) utrumque carmen, quod ille se in* cuiusdam Furii vetustissimo libro *repperisse professus est.*' Quamquam non dixerat Serenus, quis ille Furius esset, ex cuius libro illa sumpserat,

*) Sammonicum Serenum Septimii Severi principis aetate floruisse idem Macrobius Sat. III, 16, 6 testis est.

tamen omnia in Furii Bibaculi ‚*Lucubrationes*' quadrare persuasum habeo. Nam quod Huschkius*) suspicatus est Furium Antiatem fuisse auctorem illius libri, quo usus erat Serenus, et quod Hertzius**) de L. Furio Philo, qui anno *a. Chr. n. 136* consul erat, cogitabat, nulla re confirmatur, quia nullo veterum testimonio constat illos opus aliquod prosaico sermone scripsisse. Sed quoniam Furius Bibaculus, ut supra demonstravi, talem librum conscripserit et verisimile est ‚*Lucubrationes*' fuisse libros collectaneos, nihil obstat, quominus Serenum ex ‚*Lucubrationibus*' Bibaculi illa carmina attulisse censeamus. Certe ‚*Lucubrationes*' ‚*vetustissimus liber*' a Sereno dici poterant, neque offendendum est, quod hoc loco apud Macrobium legitur solum Furii nomen, cum *Sat. II, 1, 13* ‚*Furius Bibaculus*' dicatur. Nam sine dubio verba ‚*in cuiusdam Furii vetustissimo libro*' ipsius Sereni sunt, qui paulo neglegentius auctorem solo nomine appellavit. Itaque, si recte iudicavi, ‚*Lucubrationes*' continebant varias antiquitatum et litterarum Romanarum partes et erant eis libris similes, quos posterioribus temporibus composuerunt Gellius et Macrobius. Atque facile fieri poterat, ut tale opusculum componeret discipulus Valerii Catonis, qui ipse erat et poeta et grammaticus. —

Iam reliquum est, ut fragmenta Bibaculi, quae ad nostram pervenerunt aetatem, componam et breviter explicem, atque disseram, quo iure alia etiam ei poetae tributa sint:

Suetonius***) de gram. et rhet. c. 11 *(p. 109. 110* Rff.): ‚*Vixit* (scil. *Valerius Cato) ad extremam prope senectam, sed in summa pauperie et paene inopia, abditus modico gurgustio, postquam Tusculana villa creditoribus cesserat, ut auctor est* Bibaculus':

---

*) Huschke, Jurisprudentiae Anteiustinianae quae supersunt. Lips. 1874 p. 11.

**) Hertz, Jahrb. f. Phil. 85 (1862) p. 53. 54.

***) In apparatu critico annotando usus sum editione Reliquiarum Suetonii Reifferscheidii.

1) „*Si quis forte mei domum Catonis,*
depictas minio assulas, et illos
custodes videt hortuli Priapos:
miratur, quibus ille disciplinis
tantam sit sapientiam assecutus,
quem tres cauliculi, selibra farris,
racemi duo tegula sub uda
ad summam prope nutriant senectam.“

v. 2 *depictam* G ‖ *assulas* Beroaldus | *assylas* G | *assyllas* NOI | *asillas* VL ‖ *Assula est parva assis et significat domum exiguam Catonis assibus exstructam.*

v. 3 *custodis* L | *custodes* reliqui codd. | *hortuli Priapos* Jos. Scaliger | *hortulos Priapi* libri ‖ *Probo emendationem Scaligeri, quod pluralis numerus* ‚hortuli' *de parvo horto Catonis vix adhiberi poterat et hic hortulum* Catonis *esse, non Priapi significandum erat.*

v. 4 *miratur* codd. | *e* supra *a* in *miratur* L | *miretur* Vossius, Wolfius, Meyerus, Weichertus male ‖ *Quisque, dicit poeta, qui viderit domicilium grammatici, facere non poterit, quin miretur.*

v. 5 *sit sapientiam* L (Pontanus)| *sapientiam sit* VNGOI | *sit patientiam* Baehrensius ‖ *Jocose dicit Bibaculus causam paupertatis (*cfr. *fragm. 2) dissimulans Catonem admirabili uti sapientia, qui quondam pulchram domum et hortum possederit, nunc mutato consilio tenui victu contentus sit.*

v. 6 *cauliculi* L (Pontanus) | *calculi* VNGI | *calculis* | O *coliculi* Scaliger ‖ *selibra* VL | *et libra* NOI.

v. 7 *regula* Baehrensius, *sed quid tum sibi vult praepositio* ‚sub'. ‖ *Tegula de parvulo tecto dicitur.* ‖ *una* VLNSI | *ipsa* Gronovius | *ima* Guietus | *uda* Heinsius. ‖ *Probo emendationem Heinsii* ‚uda' *i. e. quae perpluit, nam significatur paupertas.*

Suetonius ibidem hos quoque Bibaculi hendecasyllabos in Catonem tradit:

2) *„Catonis modo, Galle, Tusculanum*
tota creditor urbe venditabat.
mirati sumus, unicum magistrum,
summum grammaticum, optimum poetam
omnes solvere posse quaestiones,
unum deficere expedire nomen.
en cor Zenodoti, en iecur Cratetis!“

v. 1 *Quis fuerit ille Gallus, ad quem Bibaculus hoc misit carmen, nescimus. Cogitaverunt nonnulli de Cornelio Gallo poeta.* v. 6 *unum difficile* codices | *unum huic difficile* Heinsius | *unum at difficile* Burmannus | *deficere* Toupius em. in Suid. *III, p. 174* | *Toupii sola emendatione fit, ut perspicua constructio verborum sit, quare nunc fere omnes eam coniecturam receperunt.* | *Nomen metonymice usurpatur pro pecunia ipsa credita, nomen enim eius, qui pecuniam accepe:at, in tabulas rationum referebatur.* v. 7 *Translate* ‚cor' *et* ‚iecur' *adhibentur, ut* ‚prudentia' *et* ‚sapientia' *significentur.* | Probus Cath. *I, 51* (Gr. Lat. Keil *IV, p. 29, 10*) *affert exempli gratia ex ultimo versu verba* ‚en iecur Cratetis' *atque* Marius Plotius Sacerdos *art. gram. l. III* (Gr. L. *VI, 480, 12) totum versum laudat.*

Suetonius de gram. *c. 9 (p. 107, 15* Rff.*): ‚Vixit* (scil. *Orbilius*) *prope ad centesimum aetatis annum, amissa iam pridem memoria, ut versus Bibaculi docet:*

3) *„Orbilius ubinam est, litterarum oblivio?“*
Versus est trimeter iambicus, quo senilis infirmitas Orbilii acerbe deridetur.

Schol. ad Juven. *VIII, 16 (ed.* Jahn *p. 291)*: *Catina oppidum Siciliae usque ad probra dissolutum notatur ut et Bibaculus (Vibaculus* et *Vibalus* codices)':

4) *„Osce senex, Catinaeque puer, Cummana meretrix“*
Osce Pithoeus | *oste* codd. | *Tusce* Schurtzfleischius in codice legerat | *Cumana* Pithoeus | *cuna* codd. | *Versus est hexameter dactylicus, fortasse ex epigrammate sumptus.*

De dubiis nominibus (G. L. *V. 573, 19): ‚Crabatum (crebattum* codices) *antiqui; nunc grabatum generis neutri, ut Bibaculus (Babiculus* codices).

5) „. . . *nam meo grabato*".

‚Grabatus' *significat lectum exiguum; exstat vocabulum etiam apud Catullum X, 22 Verg. Mor. 5. Mart. VI, 39, 4 XII, 32, 11.* | *Verba pars hendecasyllabi esse videntur.*

---

6) Charisius inst. gram. *l. I. (*G. L. *I, 127, 12):* ‚duplici Bibaculus, „*duplici*," inquit, „*toga involutus*" non duplice.'

Weichertus haec tria verba iambicis epigrammatis Furii Bibaculi adscripsit; hendecasyllabi partem esse Lachmannus (Com. in Lucr. 199), *cui equidem assentior, Luc. Muellerus anacreontium esse censet. Quod autem Baehrensius (*Com. Cat. *p. 13) verba ex opere prosaico a Charisio petita esse putat non est probabile, nam haud facile quisquam negaverit metrum in verbis inesse. Eodem ordine, quo apud Charisium, verba illa bis repetuntur in glossis Salomonis, quae dicuntur, in codice Monacensi (*cfr. Usener Rhein. Mus. *XXII, p. 446), ubi narratur Livius Andronicus primus tragoedias comoediasque egisse* ‚duplici toga involutus.' *Ut hunc consensum inter Charisium et glossas explicet, non sine veritatis specie Usenerus (*Rhein. Mus. *XXIII, p. 676) suspicatur fontem, ex quo et Charisius et glossarum scriptor hauserint, fuisse versus Furii Bibaculi de Livio Andronico.*

Haec sunt fragmenta, quae adscripto nomine Bibaculi ad nostram pervenerunt aetatem. Sed recte aliud fragmentum poeticum viri docti Furio Bibaculo tribuerunt. Scribit enim. Suetonius de gram. *c. II, (p. 109* Rff.) de Valerio Catone haec: ‚*docuit multos et nobiles, visusque est peridoneus praeceptor, maxime ad poeticam tendentibus, ut quidem apparere vel his versiculis potest:*'

7) „*Cato grammaticus, Latina Siren,*
qui solus legit ac facit poetas.“
Etiamsi nomen poetae non addidit Suetonius, tamen nemo non assentietur Burmanno Sec., qui in Anthol. Lat. Vol. *I, p. 422 eos referendos esse ad Bibaculum censuit. Eodem enim loco de eodem Catone afferuntur, quo ei, quos sub 1 et 2 annotavi, atque et metro et dictione similes sunt his, qui a Bibaculo compositi esse dicuntur apud Suetonium. Neque quidquam obstat, quominus duos illos versus Furio Bibaculo tribuamus. Inter fragmenta igitur recipiendi sunt versiculi, qui ipsi quoque magis confirmant nostram sententiam Bibaculum fuisse discipulum Catonis.*
v. 1 ‚Siren' *appellatur Cato propter facultatem poeticam vel propter dulcedinem poematum.*
v. 2 ‚legit' *hic significat* ‚enarrare', ‚interpretari', *quia olim grammaticorum industria in eo versabatur, ut discipulos ipsos redderent poetas praelegendis seu interpretandis poetis.*

Ex Lucubrationibus vero Bibaculi, si modo de his libris supra recte iudicavi, haec duo exstant fragmenta apud Macrobium:

8) Sat. *III, 9, 7—8: ‚Si deus si dea est, cui populus civitasque Carthaginiensis est in tutela, teque maxime, ille qui urbis huius populique tutelam recepisti, precor venerorque veniamque a vobis peto ut vos populum civitatemque Carthaginiensem deseratis, loca templa sacra urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis eique populo civitati metum formidinem oblivionem iniciatis, proditique Romam ad me meosque veniatis, nostraque vobis loca templa sacra urbs acceptior probatiorque sit, mihique populoque Romano militibusque meis praepositi sitis, ut sciamus intellegamusque. Si ita feceritis, voveo vobis templa ludosque facturum.'*

9) Sat. *III, 9, 10—11: ‚Dis pater Veiovis Manes, sive quo alio nomine fas est nominare, ut omnes illam urbem Carthaginem exercitumque quem ego me sentio dicere fuga*

formidine terrore compleatis, quique adversum legiones exercitumque nostrum arma telaque ferent, uti vos eum exercitum eos hostes eosque homines urbes agrosque eorum et qui in his locis regionibusque agris urbibusve habitant abducatis lumine supero privetis exercitumque hostium urbes agrosque eorum quos me sentio dicere, uti vos eas urbes agrosque capita aetatesque eorum devotas consecratasque habeatis ollis legibus quandoque sunt maxime hostes devoti. Eosque ego vicarios pro me fide magistratuque meo pro populo Romano exercitibus legionibusque nostris do devoveo, ut me meamque fidem imperiumque legiones exercitumque nostrum qui in his rebus gerundis sunt bene salvos siritis esse. Si haec ita faxitis ut ego sciam sentiam intellegamque, tunc quisquis hoc votum faxit ubi faxit recte factum esto ovibus atris tribus. Tellus mater teque Juppiter obtestor.'

Assentiri nequeo O. Ribbeckio*), qui suspicatus est Vergilii catalepton 5: *‚Iacere me quod alta non possim putas | ut ante vectari freta etc.'* a M. Furio Bibaculo esse scriptum. Ita enim iudicat vir doctus: Vergilium illud carmen non scripsisse docere ipsum initium, quo iam senem se, antea autem per maria vectum et arma victoris secutum esse dicat poeta; fortasse auctorem esse Bibaculum, quem ne senem quidem sal et acerbitas destituerit, nam hoc ostendere carmina in Orbilium et Catonem conscripta. Iam vides ipsum Ribbeckium certum argumentum pro sua sententia non attulisse. Sed etiamsi probo, quod dicit carmen Vergilii esse non posse, tamen omnino nego Bibaculum pro auctore esse habendum. Ita tantum aliquam probabilitatem ea coniectura haberet, si constaret *‚eum alta freta vectatum et arma victoris secutum esse'*. Hoc autem unum pro certo habere possumus carmen non esse Vergilii et post aetatem Augusti conscriptum esse a quodam Catulli aut Horatii imitatore, sed ignoramus, quis composuerit versus illos. —

---

*) Appendix Vergiliana prolegg. p. 7.

Non magis probo opinionem Kirchneri, qui in annotationibus ad Horatii *sat. I, 10* commentus est a Bibaculo scriptos esse illos octo versus, qui in nonnullis libris manu scriptis in principio satirae leguntur. Existimans enim versus illos esse antiquiores ipsa satira, quod Valerius Cato, ‚*qui male factos emendare* parat *versus*' Lucilii, eo tempore, quo Horatius satiram composuerit, septuagenarius novam Lucilii carminum recensionem parare non potuerit, suspicatur versus conscriptos esse ab amico quodam Catonis eosque tribuit Furio Bibaculo, qui consuetudine Valerii Catonis usus sit et ipse grammaticus contra alios quoque grammaticos velut Orbilium pugnaverit. Quaecumque praeterea addit Kirchnerus nihil afferunt ad ipsius sententiam confirmandam. Ex iis autem, quae dixi, apparet omnem illam viri docti argumentationem pendere ex uno nomine Catonis. Hoc vero certe levius argumentum est quam ut inde colligere possimus Bibaculo illos octo versus esse tribuendos, nam eadem de causa cogitaverit quispiam de alio auctore ex eorum numero, qui in disciplina Catonis erant, si modo pro explorato habendum est, id quod demonstrari nequit, versus ante satiram Horatianam esse scriptos.

Caput IV.

Quid Furio Alpino tribuendum sit.

Per se non mirum est de poeta insulso et infaceto, qualem Furium Alpinum fuisse existimare debemus, et sua aetate ab aequalibus contempto et deriso nihil certi memoriae proditum esse. Hoc autem conicere licet Furium Alpinum eo tempore, quo Horatius satiras scripsit, in vivis fuisse, quia sic tantum acerbum ludibrium, quo in transcursu poeta hominem affecit, intellegi poterat. Atque illum dictionem tumoris plenam et imagines ridiculas in carmine suo adhibuisse eumque poetam epicum fuisse, quia versus ille ‚*Juppiter hibernas etc.*'. quem Horatius per parodiam deridet, vix in alio carmine atque epico fuit, ipsis verbis Horatianis satis significari puto. Scholiastae vero, ut vidimus, praeter ipsum versum genuinum nihil certi tradunt, nam sine dubio Pseudo-Acro verbis ‚*Furium dicit aut edacem aut sordidum aut carne pingui*' atque ‚*Furius immanis ventris*' explicare conatus est Horatiana ‚*pingui tentus omaso.*'

Ex duobus autem locis, quibus Furius Alpinus perstringitur, cognoscimus poetam descripsisse caedem Memnonis, fluvium Rhenum hiememque in Alpibus. Sed controversia fuit, utrum ea omnia in uno eodemque carmine epico fuerint an tria aut duo carmina scripserit Furius Alpinus. De tribus carminibus vix potest cogitari, quod certe per se verisimile est Rheni et Alpium hibernarum descriptionem in eodem carmine fuisse. Itaque Weichertus, quem plerique Horatii interpretes secuti sunt, quamquam de Furio Bibaculo hoc scribit, suspicatus est poetam duo carmina magna

scripsisse ‚*Aethiopidem*', in quo carmine caedes Memnonis, et ‚*pragmatiam belli Gallici*', in quo carmine Rhenus et hiems Alpium descripta fuerint. Sed quamvis non contendam de duobus carminibus omnino non posse cogitari, tamen simplicius et probabilius esse mihi videtur, si omnia in uno carmine fuisse descripta putamus. Nam cum Alpinus, ut ex verbis Horatii clare apparet, insulsus et turgidus poeta fuerit, facile fieri potuit, ut eidem carmini, quo Rhenum et Alpes pessime descripserat, quasi ‚*pannum purpureum*' etiam narrationem de caede Memnonis mirum in modum insereret. Illius autem carminis ne titulus quidem ‚*pragmatia belli Gallici*' pro certo haberi potest, cum Pseudo-Acro titulum ea de causa commentus esse videatur, quod intellexerat versum ab Horatio *sat. II, 5, 41* derisum exstitisse in carmine de bello Gallico. —

Certum fragmentum illius carminis epici est unus versus ab Horatii scholiastis ad *sat. II, 5, 41* et a Quintiliano *inst. or. VIII, 6, 17* traditus: ‚*Juppiter hibernas cana nive conspuit Alpes.*' De genuina forma huius versus quidem non dubitandum est, sed versum totius carminis fuisse primum, ut ait commentator Cruquianus, haud dubie falsum est. Aliquid inepti, ne dicam obsceni, in uno verbo ‚*conspuere*' inest, et recte iam ipse Quintilianus metaphoram a longinqua similitudine ductam reprehendit.

Suspicati autem sunt plerique Horatii interpretes alia quoque verba versuum antecedentium (*v. v. 39, 40*) Furii poetae esse. Atque Orellius quidem omnia Furio tribuenda esse censuit duabus potissimum causis commotus. Primum enim dicit vel ipsas particulas ‚*seu—seu*' satis demonstrare Furii fuisse illa aeque inepta ‚*rubra canicula etc.*', deinde inconcinnum fore totum locum, si imagini Horatii ipsius opponeretur parodia versus Furiani. Sed haec non ita sunt comparata, ut per se quidquam demonstrent, immo si Horatius etiam alia verba ex Furii carmine sumpsisset, eum iam priore loco i. e. post prius ‚*seu*' nomen Furii aut totum versum ‚*Furius hibernas etc.*' adhibiturum fuisse puto, ut

legentes intellegerent etiam verbis *‚seu rubra canicula etc.'* Furium derideri. Itaque omnibus perpensis in eam sententiam adductus sum, ut verba *‚seu rubra canicula findet infantes statuas seu pingui tentus omaso'* ipsius Horatii esse et solam ridiculam hiemis descriptionem ex Furii carmine, ut invenusta imago perstringeretur, receptam esse dicam. Nam neque scholiastae tradunt praeter versum *‚Juppiter h. c. n. c. A.'* etiam alia ab Horatio ex poetae carmine esse petita, neque si quid a sermone usitato in satira ludificationis plena recedere videtur, ex ea re sola coniciendum est verba Horatii esse non posse. Neque quemquam omnino puto dicturum fuisse alia quoque Furii verba esse derisa, nisi constaret versum *41* ex Furiano iocose ita commutatum esse ab Horatio. —

Sed ut veniam ad singula, in verbis *‚rubra canicula'* nihil est, quod offensionem habeat. Bene enim coniungitur *‚ruber'* adiectivum cum *‚canicula'* stella. *‚Ruber'* aut dici potest de ipso colore*) sideris aut, quod alii malunt, idem valet quod *‚ardens' ‚flagrans'***). Maxime vero viri docti offenderunt in verbis *‚infantes statuas'* et Horatii ipsius esse negaverunt, quod *‚infans'* adiectivum de statua dictum ineptum sit. Qua de voce explicanda valde inter se dissentiunt interpretes: plerique enim cum scholiastis *‚infantes'* statuas volunt esse *‚mutas'* vel *‚quae fari vel loqui non possunt,'* Bentleius autem et alii editores satirarum *‚infantes'* interpretantur *‚recentes'* vel *‚ex viridi ligno factas'*. Praeferenda autem haud dubie est illa interpretatio, quam priore loco posui. Nam et ipsum adiectivum *‚infans'* eadem fere significatione posuit Horatius *sat. I, 6, 57 ‚infans pudor'*, de statuis similiter dixit *ep. II, 2, 83 ‚statua taciturnius.'*

---

*) cfr. H. Schmidt: Lat. u. griech. Synonymik 54, 1.
Seneca: Nat. Quaest. I, 1, 7: ‚sed acrior sit caniculae rubor.'

**) cfr. Hor. carm. I, 17, 17: ‚hic in reducta valle caniculae vitabis aestus'.
— carm. III, 13, 9: ‚te flagrantis atrox hora caniculae nescit tangere.'

Itaque Horatius per iocum et rem in maius extollens hoc dicit: persta, si cognitor factus es, etiam tum, cum tantopere ardet canicula, ut non modo non homines, sed ne infantes quidem statuae i. e. res sensu carentes aestum sustinere possint; atque consulto poetam in carmine festivae ironiae plenissimo metaphora insolita usum esse existimo. — ‚*Pingui tentus omaso*' denique Furii esse nego. Nam quod Fritzschius ad *sat. II, 5, 40* annotavit narrasse Furium, Jovem ventrem visceribus bubulis implevisse ita, ut nivem vomere cogeretur, id ne turgidissimum quidem hominem dicturum fuisse opinor. Facetissime autem Horatius ‚*pingui tentum omaso*' vocat ipsum poetam, ut eluceat festive, quo modo ad invenustam vocem ‚*conspuere*' descendere potuerit. Atque propter unum verbum ‚*conspuere*', quo male pro ‚*conspergere*', ‚*tegere*' Furius Alpinus usus erat, verbis, *pingui tentus omaso*' fortius tumorem poetae significavit quam altero loco *sat. I, 10, 36*, ubi appellat poetam ‚*turgidum*', quod vocabulum Horatii ipsius esse nemo adhuc negavit. Ex ‚*omasum*' vocabulo vero, quod est Gallicum, aliquid de patria poetae suspicari argutius quam verius est, nam eadem voce ipse Horatius iterum utitur *ep. I, 15, 34.* — Restat, ut pauca dicam de altero loco *sat. I, 10, 36*, quo Furius Alpinus perstringitur. Iam scholiastae acumen totius loci bene et dilucide exposuerunt (cfr. cap. I.). ‚*Jugulat dum Memnona*' enim Horatius dixit usus illa figura, qua ipsi facere significantur scribentes id quod referunt*). Hoc igitur dicit Horatius: Alpinus, dum Memnonis caedem describit, ita hoc facit, ut iterum heroa quasi iugulare videatur. De verbis sequentibus ‚*dumque diffingit Rheni luteum caput*' vero valde inter se dissentiunt interpretes. ‚*Defingit*' habent plurimi codices, ‚*diffingit*' in nonnullis codicibus et in scholiis Porphyrionis scriptum est, ‚*diffringit*' coniecit D. Heinsius, ‚*diffindit*' L. Muellerus. Frustra, ut omittam coniecturas, viri docti studuerunt discrimen inter duo verbo ‚*diffingere*'

*) cfr. Hor.: carm. II, 1, 17—20.

et ‚*defingere*' facere et demonstrare ‚*diffingere*' esse reiciendum, nam utrumque verbum tam raro invenitur, ut neque utriusque verbi significatio et differentia certo definiri neque utrum hoc loco aptius sit diiudicari possit, praesertim cum nesciamus, quid de Rheno in Alpini carmine scriptum fuerit. Praefero autem ‚*diffingere*' propterea quod apud Horatium ipsum etiam invenitur *carm. I, 35, 39: ‚o utinam nova | incude diffingas retusum in | Massagetas Arabasque ferrum*', ubi vertimus in nostram linguam ‚*gaenzlich umaendern*', ‚*umschmieden*' et *carm. III, 29, 47: ‚non tamen irritum | quodcumque retro est efficiet neque | diffinget infectumque reddet | quod fugiens semel hora vexit.*', ubi significat nostrum ‚*umgestalten*', ‚*umaendern*'. Atque cum in nostrum locum significatio ‚*umaendern*' quadret et verbum ‚*diffingere*' proprium Horatii esse videatur, cum Heindorfio et Kiesslingio scribo ‚*diffingit*'. — Deinde ‚*caput*' diversis modis explicaverunt. Plurimi enim interpretes dicunt caput esse fontem, alii, in quibus Weichertus et Muellerus, ostium fluvii, alii, in quibus Kiesslingius, proprium caput dei Rheni aut eius simulacri. Sed quamquam omnes exemplis adscriptis suam sententiam comprobare studuerunt, tamen una interpretatio eorum, qui caput fontem esse volunt, probabilis esse mihi videtur, nam plerumque poetae*) nomine ‚*caput*' fluvii originem vel fontem singnificant et Horatius ipse *carm. I, 1, 22* fontem vocat ‚*aquae lene* caput *sacrae*.' Quare sic verba Horatii interpretor: Alpinus Rhenum ita describit, ut fontis ipsius aqua, quae pura est, verbis et dictione contorta lutea i. e. sordida fieri videatur legentibus. Qua explicatione clare cognoscuntur facetiae Horatii et apparet non recte Orellium, Kirchnerum, Duentzerum propter adiectivum ‚*luteus*' ad ‚*caput*' positum opinatos esse verba ‚*Rheni luteum caput*' esse Alpini. —

Horatium, ut hoc adiciam, Furii descriptionem ridi-

*) cfr. Lucr. V. 270. VI, 729. Verg. Georg. IV, 319, 368. id. Aen. XII, 816. Tib. I, 7, 24. Ovid metam. II, 255.

culam Rheni etiam in exordio artis poeticae, ubi poetarum aequalium neglegentiam et affectationem reprehendit, versu *18*: ‚*aut* flumen Rhenum *aut pluvius describitur arcus*' in mente habuisse, probabilis est coniectura Weicherti (*l. l. p. 339*), etiamsi eam certo argumento confirmari non posse manifestum est. —

Vita.

Natus sum Theodorus Hildebrand prid. Id. Sext. anni huius saeculi LXIX Wernigerodae, patre Theophilo, matre Adolphina e gente Dschenfzig, quos parentes adhuc superstites esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus in gymnasium patriae urbis sum receptus, quod per novem annos frequentavi. Vere anni huius saeculi LXXXVIII maturitatis testimonium adeptus universitatem Halensem adii, ubi per octo spatia semestria incubui studiis philologicis. Interfui scholis virorum illustrissimorum Halensium: Keil, Hiller, Dittenberger, Heydemann, Robert, Wernicke; Haym, Erdmann, Uphues; Droysen, Lindner, Kirchhoff, Schenck: Gering, Sievers; Hering, Kähler, Haupt, Beyschlag, Eichhorn; Schum, Brauns. Viri doctissimi Keil benevolentia receptus sum in societatem philologicam, quae vocatur, cuius sodalibus etiam nunc adnumeror. Atque ut exercitationibus proseminarii et seminarii per septem semestria interessem, benigne concesserunt Keil, Hiller, Dittenberger. Liberalitate viri humanissimi Haym mihi contigit, ut exercitationum philosophicarum per duo semestria participi esse mihi liceret. — His viris doctissimis cum omnibus tum Henrico Keil optime de me merito gratias ago maximas.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
871B4.YH C001
QUAESTIONES DE FURIIS POETIS
3 0112 023662478